5261/P

WARD (G.)

Disputatio Medica inauguralis de Hepatitide, 1814

F
VIII
e/19

F. VIII e
19

6F
59611/1
LB3
bat 72-609

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS WARD,

Hibernus,

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOCIUS.

Aggrediar non tam perficiendi spe, quam experiendi voluntate. Cic.

Die viii. ante Kalendas Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1814.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30346769

EDVARDO SHERIDAN,

MEDICO DUBLINIENSI,

VIRO

NON MAGIS

PERITIA SUA IN ARTE MEDENDI,

QUAM

OMNIBUS VIRTUTIBUS QUAE CIVEM ORNANT

INSIGNI;

HANC DISPUTATIONEM

SACRAM

VULT

AUCTOR.

NECNON,

AFFINI SUO,

ET

AMICO SPECTATISSIMO,

LUDOVICO WARD

DE BALLINDERRY,

IN COMITATU GALWAY,

ARMIGERO;

PROPTER AMICITIAM,

QUAM SEMPER IN SE DEMONSTRAVIT,

HAS PAGINAS

SINCERUM, TAMETSI EXIGUUM

ANIMI GRATISSIMI

TESTIMONIUM,

OFFERT

GEORGIUS WARD.

To

Doctor Turnbull

with the Author's Compliments

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE.

Hunc morbum Nosologi in duas species, scilicet vetustam, et acutam, diviserunt. Haec a nostro Culleno celeberrimo, mira ejus solitaque perspicuitate, verbis sequentibus definitur: "Pyrexia; hypochondrii dextri tensio et dolor, saepe pungens, pleuritici instar, saepius obtusus; dolor ad claviculam et summum humeri dextri; decubitus in sinistrum latus difficilis; dyspnoea; tussis sicca; vomitus; singultus *."

* Cullen, Synopsis Nosol. Meth. p. 55.

Haec definitio, utcunque clara, minime omnia symptomata, quae hepatitidem acutam designant, complectitur; quaecunque autem haec species morbi sibi propria vindicat, in ea breviter colligenda confiteri necesse est. Antequam ad hujusce speciei historiam tractandam me accingo, definitionem hepatitidis vetustae a Cullено traditam praefigere necessarium arbitror. Haec species signa tam diversa, quam obscura ostendens, vix ulla definitione clare depingi potest. Cullenus tamen hisce verbis eam definire tentavit: "Haec saepe nulla, quibus dignoscatur, signa praebet; aliquando tamen eandem adesse suspicari potest, ex hepatitidis causis quibusdam praegressis, ex sensu quodam plenitudinis et gravitatis in hypochondrio dextro, ex doloribus plus minusve pungentibus in eadem parte subinde perceptis, ex dolore quodam a presso hypochondrio dextro, vel a decubitu in latus sinistrum sentito, et denique ex pyrexia leviori cum dictis signis subinde infestante."

Multa satis inepte, scriptores diversi, de peculiari mali sede, una alterave morbi specie con-

scripsere, non dubitantes quin, acutam maxima ex parte, in hepatis superficie, vetustam vero semper in ipsa jecoris substantia sedem habere. Sed quam vanae atque fallaces sunt tales opiniones, satis superque ex cultro anatomico discimus; saepe enim cum in acuta morbi specie, non obstante omni medici cura, symptomatum violentia et duratio e medio aegrum sustulerint. Dissectio cadaveris jecoris substantiam aeque ac ejus superficiem morbo tentatas demonstravit. Professor noster jure celeberrimus, Gregorius, de hepatitide disceptans, verbis sequentibus utitur: "In violent affections of hepatitis, both surfaces must be looked on as inflamed, as also the parenchyma *."

Hisce de hepatitidis definitione et sede praemissis, nunc nobis in animo est, alterius utriusque speciei historiam, quam paucissimis tractare.

---

* Praelectiones Gregorii.

Hepatitidis Acutae Historia.

Haec species morbi, haud saepe in regionibus temperatis homines grassatur; quandocunque autem sese ostendit, similia symptomata ac in plagis calidis, eam designant; hac vero differentia, ut in stadio inflammatorio, omnia symptomata maxime aggravantur, et multo citius inter tropicos, in sanitate vel morte desinunt. Inter signa mali, anxietas ineffabilis, languor, horrores frequentes, sed praecipue sensus molestiae, quem aegrotus non parti alicui prae aliis refert, aliquot per dies aegrum vexant. Morbo progrediente, symptomata caeteris in phlegmasiis observata, scilicet, calor auctus, pulsus frequens atque durus, nausea, cutis arida, signis supra recensitis, (minore autem gradu, quam in aliis visceribus inflammatione tentatis, propter jecinoris structuram peculiarem), accedunt. Aeger hoc morbi stadio, sensum ple-

nitudinis tensionisque in dextro hypochondrio primum queritur. Eodem tempore, neutiquam vero in omni casu, tussis, vomitus, dyspnoea et singultus urgent; saepissime autem cum morbus longius permanserit, haec indicia pathognomonica, ex viscerum vicinarum consensu pendentia, sese manifestant. Dolor ad claviculam et summum dextri humeri, identidem ex primo mali impetu molestus, nunc minimo quidem pressu, scilicet, manu in hypochondrium, aut humerum quantulacunque vi adhibita, multum ingravescit. Hypochondrii dextri dolor certo situ motuve corporis, in stadio mali provectiore maxime augetur. Hoc plerumque ex parte jecinoris affecta pendet, et tantum abest decubitum in sinistrum latus, molestia graviori stipari, ut auctor veridicus testatur, pluribus in casibus, decubitum in latus sinistrum, aegroto levamini insigni esse *. Si facies jecinoris convexa sit tentata, tussis importuna, singultus, dyspnoea usitato adsunt; quod proximum notavi symp-

* Clarke's Observations on the diseases which prevail in long voyages to hot countries, &c. vol. ii, p. 404.

toma, interdum tam molestum fit, ut verbis Celsi utar aegrotum " prope strangulat *." Alia vero et admodum diversa symptomata, faciem jecinoris concavam morbi esse sedem, indicant. Inter haec, magna debilitas, pulsus parvus, suspiria frequentia, sitis magna, vomitus, rite sunt recensenda. In hac hepatitidis specie, fere semper bilis secretio augetur; nonnunquam vero transitu ejus in duodenum, ductuum constrictione impedito, omnia usitata icteri symptomata sese ostendunt. Aliquando aegrotus (praesertim si morbo in calidis regionibus laboret) magnam sanguinis copiam, cum faecibus reddit, morbus speciem dysenteriae prae se ferens; bilis ipsa quantitate aucta, vice coloris naturalis, viridis, fusca, subnigra, et glutinosa, plerumque vomitu redditur †. Cum his indiciis, alvus insigniter astricta est: hoc vero nequaquam ex deficiente felle pendet, uberius enim fluit, ut ex vomitu bilioso satis constat. Urina ruberrima parva quantitate secernitur.

---

* De Re Medica, lib. iv, chap. viii.

† Curtis's Account of the Coast Diseases of India.

Praedictis hepatitidis acutae signis indies ingravescentibus, his tandem sudores nocturni, diarrhoea colliquativa, caeteraque febris hecticae ex suppuratione interna orientis indicia, superveniunt. Mors nunc atris circumvolat alis, aerumnisque aegri brevi finem imponit.

Jamque acutae speciei morbi historia, qua potui cura tradita, mihi liceat quaedam de specie chronica brevissime proferre.

Hepatitidis Chronicae Historia.

Hepatitis chronica longe in nostro climate frequentior est, quam plures suspicantur; tot enim formas diversas induit haec species, ut medicum solertissimum nonnunquam fallit. In plerisque exemplis, omnia symptomata quae sese comites dyspepsiae praebent, per plures septimanas percipiuntur, antequam aegrotus quemcunque dolorem in regione jecinoris sentit; non-

nunquam vero signa quaedam peculiaria, scilicet, dejectiones frequentes mucosae, torminibus comitatae, verum morbi naturam medico solerti detegunt. Si his signis, color vultus subfuscus superveniat, non est dubitationis de morbi natura. In India Orientali saepe dysenteria vera, nonnunquam febris intermittens irregularis hepatitidem praecedunt; sed in Europae plagis, talia exempla perpauca existunt. Cum aliquandiu hic status abnormis duraverit, indicia hepatitidi propria demum apparent. Supervacaneum foret, omnia symptomata, utrique speciei morbi communia, iterare: satis sit, earum discrepantias breviter notare. Imprimis, species chronica, raro aut nunquam pyrexia stipatur; pulsus enim per totum ejus decursum (nisi in stadio posteriori, ubi febris hectica superveniat) parum mutatur. In primo ejus impetu, alvus multo saepius quam in acuta specie, astricta invenitur. Morbo autem inveterato, varia est, modo astricta, modo soluta, abdomine simul tenso et tumido existente. Cum his languor, cujusvis nisus fastidium, et animi tristitia notabilis, hepatitidem chronicam comi-

tantur. Bile quoque minore quantitate excreta, aegrotus perraro vomitu bilioso, (altera in specie saepe tam molesto), turbatur. Urina, quae in acuta morbi forma ruberrima excernitur, in hac parum aut nihilo mutata redditur. Praeter haec, faeces usitato albidae coloris dejiciuntur. In ultimo mali stadio, dyspnoea saepe adeo molesta evadit, ut pectus atque humeri de figura naturali deflexa, aegrum notabiliter deformatum reddunt *. Symptomata, mortis prodromos, omnino praetermittimus, utpote similia iis, quae in eodem acutae periodo occurrunt. Hanc hepatitidis speciem, ascites et anasarca saepissime excipiunt; ob jecur magnitudine auctum, venas vicinas premens, et sic sanguinis reditui obstans.

* Dissertatio Inaug. De Hepatitide, Auctore H. Maclean, Edin. edita 1790.

Terminationes Morbi.

Quatuor sunt hepatitidis terminationes, Resolutio, Suppuratio, Scirrhus et Gangraena.

Resolutio.—Haecce terminatio, omni in morbo inflammationem habente, et potissimum in nostro, magnopere expetenda est. Signa quae denunciant hunc eventum incidisse, sunt, hypochondrii doloris, sensusque tensionis ac plenitudinis diminutio vel cessatio, pulsus minus frequens, calor corporis naturalis, et uno verbo, omnia, quae febrem conquiescere indicant. Haec tam desideranda terminatio hepatitidis, fit interdum tempestivo usu remediorum, quibus ad inflammationem discutiendam utimur, si (ut saepe evenit), naturali evacuatione morbus finitur: resolutio, hoc in casu, effusione sanguinis e naribus, vasisve haemorrhoidalibus, sudore profuso, diarrhoea biliosa, aut copiosa excretione urinae, lateritium sedimentum deponentis, sti-

patur. Quin et multi his alteram terminationem ascripsere, scilicet, a bronchiis secretionem abundantem, hujusce terminationis nullum vidi exemplum, nec credo accidere posse, nisi inflammatio hepatica ad pulmones sese extenderit. SAUNDERS morbi resolutionem excretione muci ex bronchiis libera comitatam asserit. Non desunt exempla, quibus metastasis, (inflammatione ad splenem translata), aut erysipelas, huic morbo supervenientes, ejus resolutionem efficere *.

Suppuratio.—Hic morbi eventus non unquam maximo periculo vacat: tempus quo hepatitidi superveniat, admodum incertum est, quando ex symptomatum praecedentium violentia, habituque aegroti omnino pendeat; in pluribus autem casibus, si nulla resolutionis aut symptomatum levaminis indicia, ante sextam, aut septimam diem apparuere, morbum in suppurationem abiturum jure timeamus. Signa terminationis suppuratoriae sunt, rigores frequentes,

* Wilson on Febrile Diseases, vol. iv, chap. xv, p. 224.

cum calore alternantes, pulsus plenior atque mollior, cum sensu ponderis et fluctuationis in hepatis regione, dolore a tensione orta subito cessante. Pus in jecore formatum, viam in thoracem pulmonesque in ventriculum, vel in intestina, aut denique in cavum abdominis sibi patefacit: nonnullis in exemplis, abscessu facto in parte jecinoris anteriore et inferiore, ope adhaesionis, cum abdominis pariete, pus extrinsecus effunditur.

Scirrhus.—Negant nonnulli hepatitidem unquam in scirrhum abire: alii autem, nec parvi nominis, sententias prorsus contrarias protulere. Cum vero hepar natura glandulae gaudet, si liceat ex analogia ratiocinari, non facile est rationem reddere, cur jecur ut aliae glandulae, scilicet splen, testis, mammae, scirrho non obnoxium sit. Morgagni exemplum hepatitidis narrat, in quo hepar erat pondere librarum quatuordecim: his verbis utitur: "Totum erat hepar durum *." Certe in hoc exemplo, hepatitidem

* Morgagni de Sedibus et Causis Morborum, Epistola xxxvi.

in scirrhum incidisse, confitendum necesse est. Auctor alter eximius, qui hunc morbum bene perscrutatus est, tametsi putat scirrhum multo saepius hepatitidis chronicae sequelam esse, nihilominus, acutae morbi speciei hancce terminationem supervenire posse existimat, remediis ad tollendam inflammationem nimis parce adhibitis *. Dr HEBERDEN non dubitat quin hepatitis acuta scirrho interdum finitur †. Hepar scirrho tentatum, quod magnitudinem attinet, varie afficitur; cum magnopere auctum, tum mirabiliter imminutum se habens. GREGORIUS noster celeberrimus jecur vidit, quod pondere octodecim librarum erat; in altero exemplo, usque ad viginti uncias diminutum erat ‡. Quidam asserunt, hepatitidem fere nunquam, in plagis calidis, in scirrhum abire; incisione vero cadaverum statis superque demonstratur.

Gangraena.—Hepatitis rarissime in gangraenam abit; quod minime opinioni favet, speciem

* Saunders on the Liver.

† Heberdeni Commentarii, chap. 50, p. 211.

‡ Gregorii Praelectiones.

morbi acutam maxima ex parte superficiem jecinoris sibi sedem vindicare ; nam ex pathologia discimus, membranas ad hanc inflammationis terminationem maxime proclives esse. Dr Frank affirmat, se novisse totam superficiem hepatis inflammatione affectam, et huic gangraena supervenit. Haec terminatio jure timeatur, quandocunque symptomata, sine ulla doloris tensionisque remissione, diu perstiterint. Gangraenam revera adesse, pulsus parvus, frequens, et tremulus, doloris subita cessatio, prostratio virium maxima, singultus, sudores olidi, aliaque manifestissima debilitatis indicia, statis ostendunt.

De iis quae in sectis Hepaticorum Cadaveribus apparent.

Sectione cadaverum eorum, quos superavit hepatitis acuta, sub nostro temperato coelo,

raro vestigia inflammationis activae, in jecoris substantia inveniuntur; usitato autem ejus superficies sola, eaque pars substantiae parenchymatosae, ei proxime subjecta, morbi effectus ostendunt. Quinetiam, hic loci abscessus qui morbo durante formentur, ut plurimum eorum sedem habent *. Omnibus in exemplis, membrana jecoris partibus vicinis adhaerebat, alias, transverso septo, alias ventriculo, pro parte hepatis morbo affecta. Hae adhaesiones, puris in abdominis cavum effusionem impediendo, saepe aegroto maximo usui sunt. In chronica specie morbida quae, cadavere aperto, oculis obveniunt, sane plurima sunt, et in aliis alia observantur. Bailleius et Morgagni multa notatu digna recensent; multum autem abest, ut symptomata omni in casu morbi naturam accurate praedicunt. Bailleius fatetur, se symptomata ignorare ex quibus, hepar tuberculis aut vesiculis obtectum, ab alia ejusdem visceris conditione, dignosci queat; id vero maxime exoptan-

* Baillie's Morbid Anatomy, chap. ix, p. 212.

dum est; etenim, eodem auctore teste, hepar tuberculis prae caeteris visceribus, si pulmones excipias, peculiariter obnoxium est *. Nonnullis in exemplis, MORGAGNI dicit, " Jecur valde pallidum, rubris hic et illic duntaxat maculis distinguebatur:" In aliis eodem scriptore praelatis, " superficie hepatis sana interne ex subpallido fuscum fuit †." Nonnunquam hoc viscus, incredibiliter magnitudine adauctum invenitur. Unum exemplum ab celeberrimo MORGAGNI citatum, suis verbis tradere liceat: " Ventris universam regionem superiorem, et proxime huic partem anterius, hepar occupabat; sinistrorsum autem excreverat, ut suspensorio ligamento, (quod crassius alioquin factum erat), plurimum in eam partem curvato; fissura umbilicalis ad sinistrum latus esset cartilaginis ensiformis; totum viscus constabat ex substantia, quae non facilius posset quam glandula mammaria dissecari; ea ex albo flavescebat, et pressa, ichorem quasi purulentum emittere vi-

* Baillie, chap. ix. p. 214.

† Morgagni de Sed. et Caus. Morborum, epist. xxxvi.

debatur." In omni hepatici cadavere, idem auctor, lienem mole auctum, et structura intima mutatum invenit: affirmat equidem, hepar non morbo posse tentari, quin lien mali particeps fit; et vice versa: audi ejus verba: "Sane tanta est inter utrumque hoc viscus commercii vicissitudo, ut altero vitiato, in altero quoque vitium sit *." Vesica fellea, ejusque ductus, vestigia inflammationis ostendunt; hisce in casibus, bilis in ea contenta erat "colore quasi ad cinereum vergente." In quibusdam exemplis, sed perraro, glandulae mesentericae duriusculae sunt atque majusculae: haec morbida fere semper, hepati tuberculoso sese comites praebent; utrumque ex diathesi scrofulosa, pendere videntur. Bontius † unum exemplum vidit, in quo, tota jecoris substantia absorpta, in ejus locum, vesicula magna sanie referta substituebatur. Aliquando, hepate indurato, copia seri subflavi in abdominis cavo invenitur.

* Morgagni, ut supra citatus.

† Bontii Observ. Select. in Dissect. Cadav. descriptae.

Causae Remotae.

Hae in praedisponentes et excitantes dividi solent.

Praedisponentes.—Ut in aliis phlegmasiis robusti, florentes aetate, et temperamento sanguineo gaudentes, in hepatitidem acutam incidere, quam impuberes aut foeminae multo procliviores sunt: Demigratio ex temperatis in plagas inter tropicos, homines ad hunc morbum magis opportunos reddit: Quanquam calor tali in casu morbi agens verisimile est, ratio equidem, qua malum inducat, nequaquam bene est perspecta. Calorem sane quodammodo agere, in nostro morbo inducendo, patet ex eo, quod per tempora fervidiora, incolas ipsos regionum inter tropicos, aeque ac Europaeos, hepatitis invadit. Sequentes annumerentur inter praecipuas causas, ad chronicam speciem praedisponentes: Vini liquorumve spirituosorum usus nimius, eva-

cuationes solitae improviso repressae, vel vita sedentaria; denique, quaecunque fibram laxioram reddunt, ad hanc morbi speciem proclivitatem dant.

Excitantes.—Hepatitis, exercitatione gravi, vi externa jecur aut ad cranium applicata, calore cum humiditate conjuncta, concretionibus biliosis, facile concitetur. Cum his, febres intermittentes remittentesque, actio ventriculi inordinata, species chronica morbi, ingurgitationes gelidae sub coelo calidiore frequenter usitatae, annumerari debeant. Hypochondriasis, quoque cholera, aliique morbi viscerum chylopoieticorum (partium vicinarum consensu), ad hepatitidem nonnunquam ciendam valeant. Secundum nonnullos, morbus quibusdam in casibus, ex aquae impurae usu, ab hydrargyri usu, aut diaeta sola ex carne originem ducit*. Quantum vim capiti illatam spectat, eam hepatitidem potentissime movere, inspectio cadaverum abunde probat, tametsi perdifficile fo-

* Girdlestone's Essay on Hepatitis and the Spasmodic Affections of India, 8vo, Lond. 1787.

ret, hunc cranium inter heparque nexum explicare. SAUNDERS notans, bilem ab hominibus mania laborantibus parce secerni, non dubitat quin hic jecinoris torpor, ab hoc intimo consensu hujusce visceris cum capite pendeat *. Medicus alter ingeniosus huic opinioni favet; his verbis utitur: "I am informed by a gentleman, who has occasion to dissect a great many bodies, that in diseases of the brain, he never fails to find the liver diseased, either as a cause, or a consequence: the same gentleman assures me, that the liver generally discovers the marks of recent inflammation, after fatal injuries of the head; every surgeon being aware, that abscess of the liver is a common effect of injury of the brain †."

Causa proxima.—Quod ad causam hepatitidis proximam quidem pertinet, ab omnibus medicis conceditur eam ex inflammatione oriri; at inter se, de natura ipsius inflammationis multum discrepant. Non operae pretium foret, sen-

* Saunders on the Liver.

† Cases of Apoplexy and Lethargy, &c. by J. Cheyne, M. D.

tentias diversas atque contrarias de hac mei argumenti parte praelatas recensere; nil enim auxilii ad morbum amovendum, ex tali exploratione derivari potest. Theoria vero nostri Culleni, quanquam novissime a quibusdam scriptoribus controversa *, videtur, me diffidenter judicante, multis antecessorum ejus erroribus vacare; sed confitendum necesse est, hujus viri celeberrimi theoriam non omnibus inflammationis symptomatis, perfecte convenire.

Symptomatum quorundam Explicatio.

Hypochondrii dextri dolor et tensio. — Haec symptomata plane ex inflammatione pendent. Multum autem intensitate, pro parte jecinoris morbo tentata, variant.

Decubitus in latus sinistrum molestus.—Hoc

* Cullen's First Lines, vol. i. p. 161.

indicium mali ligamentis jecinoris inflammatis jure ascribatur; nam in hoc corporis situ, plus multo quam alio quolibet distenduntur. Nisi vero inflammatio sedem habeat, in superficie hepatis convexa, raro haec ligamenta inflammata evadunt. Nullo modo jecoris adaucto ponderi me judice referatur; pluribus enim in casibus, hepar sectione cadaveris mole incredibili invenitur, nec aeger unquam, morbo durante, de hoc symptomate conquestus est.

Dolor ad claviculam et summum humeri dextri.—Alii alias hujusce symptomatis explicationes in medium proferre solent. Quibusdam placuit, id ex consensu miro, qui inter partes remotas, interventu nervorum intercedit, oriri; dum nonnulli, e contrario, huic sententiae minime assentientes, id inflammationi per diaphragma thoracemque, ad claviculam atque humerum perrepenti, solum referri existimavere. Ex his diversis sententiis, si mihi fas sit judicare, prior magis verisimilis videtur; sed adhuc sub judice lis est.

Dyspnoea, tussis, singultus.—Haec tria symptomata raro adsunt, nisi inflammatio faciem jecinoris convexam tentat; quo in casu, diaphragmate, exinde pulmonibus irritatis, eorum sensilitas usque adeo augetur, ut stimulo quolibet, ipso etiam sanguine, promptius afficiantur; porro hepar, si multo auctum sit, dyspnoeae causam praebeat, diaphragma sursum premendo, quo fit, ut thorax capacitate magnopere minuatur.

Vomitus.—In hepatitide acuta, supra notavimus, bilem usitato, non solum majore quantitate, quam naturaliter esse secretam; quinetiam, qualitate multo vitiatam. His de causis, quandocunque in duodenum effunditur, intestinum nimis irritando, ejus motus peristalticus invertitur, quo in ventriculum impellitur, nauseam atque vomitum excitatura. Alii volunt vomitionem aliasque ventriculi affectiones ex inflammatione huic visceri tandem superveniente pendere. Quaecunque autem sit vera hujus symptomatis explicatio, inter omnes constat, id perraro sese osten-

dere; nisi quod, facies hepatis concava inflammatione corripiatur.

Flavedo cutis et oculorum.—Icterus raro occurrit, ut hepatitidis idiopathicae nostrarum regionum symptoma, quando autem per morbi decursum sese manifestat: aut inflammationi ductus biliarios invadenti, tumorive, qualibet in hepatis parte, eos comprimenti, (adeo ut bilis transitus in duodenum impeditur), rite referendum est.

Humerorum convexitas, pectorisque deformitas,—quae haud raro vetustae hepatitidi superveniunt, ex corpore perpetuo antrorsum inclinato oriri videntur. Hoc enim situ dolor levatur, quia jecur septo transverso non adeo comprimi videtur.

Diagnosis.

Nobis haud perdifficilis videtur, primo aspectu, hepatitidem acutam ab omnibus aliis morbis distinguere; nihilominus meum est, morbos quam breviter annumerare, quibuscum, secundum auctores magni nominis, interdum confundi periclitetur. Sunt pneumonia, gastritis, enteritis, dyspepsia, atque rheumatismus musculorum hepati adjacentium.—Ex his, primus, notis pluribus quam caeteri, hepatitidem refert; tamen alius ab alio facile dignoscatur, si signis sequentibus animum studiose attendamus. Hepatitidem decubitus in sinistrum latus difficilis, tensio atque dolor hypochondrii dextri, saepe pressurae leviusculae impatientis, facies pallida haud raro subflava, singultus, quinetiam dolor ad claviculam pertendens, ex pneumonia satis secernunt. In hac etenim, decubitus in latus utrumque fere molestus est, tussis et dyspnoea,

multo magis quam in illa, aegrotum vexant. Dolor raro fixus, saepe sedem varie mutat, modo sternum, modo scapulas invadens. Facies turgescit et purpurascit. Cum his, pulsus in pneumonia durior quam in hepatitide evadit. Quandocunque autem inflammatio faciem jecinoris concavam occupat, vomitus et nausea, tussi et dyspnoea absentibus, diagnosin, hepatitidem inter et pneumoniam, satis superque manifestam faciunt. Nonnunquam vero, pleuritis dextri lateris, atque inflammatio faciei hepatis convexae, simul aegrum urgent ; hoc in casu, difficillime est uter sit alteri prior dignoscere *. Sed haud multum interest necne distinguantur, utpote, eadem fere per omnia curatione sanantur. —Hepatitis facile a gastritide secernitur, ex eo, quod in hac, vomitio fere perpetua est, et omnia, protinus ut assumpta, rejiciuntur : quinetiam in gastritide, aeger intolerabili ardoris sensu in epigastrio torquetur, quae gastritidem comitantur,

* Wilson on Febrile Diseases, vol. iv, chap. xv, p. 221.

nunquam hepatitidi sese comites praebent.—Ab enteritidè, noster morbus, me judicante, facillime a medico, quam minime perito, dignoscatur; nam in illa, dolor praecipue regionem umbilici tenet, et gastritidis instar insigni debilitate stipatur: ad haec, alvus pertinaciter astricta est, his cum signis, ut in gastritide, febris typhodes semper conjungitur.—Quod ad dyspepsiam attinet, nullatenus necesse videtur, hunc inter morbum ac hepatitidem acutam, discrepantiam ponere.—Rheumatismum musculorum superincumbentium jecinori, atque hujusce visceris inflammationem internoscere, nequaquam difficile est, modo attentio vel minima signis utrique morborum propriis adhibeatur. Dolore enim ac pyrexia, utrumque comitantibus exceptis, nulla fere symptomata utrique communia habent; tametsi vero, hepatitis acuta, morbique supra recensiti, a se invicem, satis clare, medico solerti internoscantur. In hepatitide vetusta, res longe aliter se habet. Haec morbi species adeo naturaliter dyspepsiam, et in provecto stadio, phthisin pulmonalem simulat, ut nonnullis,

in casibus, sola investigatione accurate morbi historiae adhibita, ejus naturam plane intelligere possumus. Quinetiam difficultas internoscendi inter hos morbos multo augetur, ex eo quod, morbo progrediente, ventriculus, aut pulmones, ita participes mali fiunt; ut uter morbus idiopathicus, uter symptomaticus sit, vix indagatione accuratissima percipiendus: aeger enim, hepatitide vetusta tentatus, saepe nonnisi de dolore perlevi et erratico conqueritur. Medicum igitur, signa sequentia in animo, summa cura tenere oportet. Si post aliquot hebdomadas mensesve, dolore supra notato ingravescente, facies subflava, pallidaque turgescit; nec non eodem tempore, sensus molestiae doloris atque ponderis in hypochondrio dextro sentitur; nec aeger in latus sanum decumbere potest; insuper his, regio hepatis pressura leviuscula dolet, (cum haec symptomata, nequaquam laborantes phthisi pulmonali, vel dyspepsia afficiunt) liceat pronuntiare, caute vero, hepatitidem vetustam adesse. In India Orientali, aut Occidentali, tali

in casu, diagnosis non aeque difficilis est, cum pneumonia raro in his plagis observatur.

Prognosis.

Scriptor celeberrimus, de jecinoris morbis disceptans, his verbis utitur : " Omnia hepatis ipsius vitia maximum aegris periculum intendant *." Idcirco nil, nisi omnibus signis mali accurate perpensis, de ejus exito fausto, vel infausto, a medico prudenti praesagiendum. In morbi eventum praedicando, duratio mali, aetas, ac temperamentum aegroti, imprimis vero, symptomatum violentia consideranda sunt ; si medicus arcessitus sit, primo morbi impetu, praesertimque, si tentatus hepatitide, neque annis, nec praegressis morbis, quave intemperantia, quoad vires, fractus sit ; est cur, ex usu

* Heberdeni Commentarii, chap. 1, p. 211.

tempestivo, et assiduo remediorum idoneorum, morbum bene finiturum speramus. Quinetiam, nonnunquam tertio vel quarto die, a primo hepatitidis impetu, quaedam praefluvia, (remissione manifesta omnium symptomatum comitata) sese ostendunt; nempe, diarrhoea biliosa, vel sanguinis ex vasis haemorrhoidalibus naribusve profusio, aut copiosa cutis exhalatio, omne tali in casu felicem morbi exitum augurari liceat. Resolutio enim inflammationis, fere semper nostris regionibus, hisce evacuationibus supervenit. E contrario, morbo quatuor aut quinque dies perdurante, si symptomata omnia ingravescunt, ac malum idoneis remediis mitigari recusat, jure suspicemur suppurationem subesse. Cum talis hepatitidis terminatio, causis jamjam recensitis, semper maxime extimescenda est; hoc in casu, securitatem medicus non polliceri debet. Quandocunque hepatitis corpori quibuscunque modis debilitato supervenit, morbus in scirrhum delabi minitatur; saepissime vero, tubercula in jecinore formantur, (siquando inflammatio hujusce visceris praeditos stru-

mosa corporis habitu occupaverit), utpote utroque in casu, fere semper febris hectica hepatitidem excepit. Prognosis summa circumspectione proferenda est.

De Ratione Medendi.

Medici est, qui hepatitide acuta laborantibus succurrit, inflammationem quamprimum resolutione tollere. Haec inflammationis terminatio, tam in aliis phlegmasiis exoptatu, specialiter in nostro morbo desideranda est, propter summam acutae hepatitidis proclivitatem, in suppurationem abire; ideoque causa talem funestum eventum avertendi, quam citissime, ad remedia antiphlogistica confugiendum est. Inter haec venaesectio jure primum locum tenet: quippe nihil (uti periculo compertum est) ad inflammationem discutiendam tantum valeat. Quo medicus sciat judicare, quantum san-

guinis detrahendum sit, debet considerare quae mala, quantaque urgeant, simul ac tempus per quod morbus perstiterit. Initio enim morbi, si difficultas spirandi, dolorque dextri hypochondrii, valde aegrotum infestant, quam liberrime sanguis mittendus est. Etiam in provectiori mali stadio, (tametsi nonnulli putant sanguinis missionem generalem posse nocere), me judicante, quanquam medicus non tempestive advocatus sit, quocunque morbi tempore, dummodo nihil adhuc suppurationem incepisse ostendat, sanguinem elicere oportet. Cum sanguis semel missus, rarissime ad inflammationem resolvendam pollet; nisi symptomata evidenter mitescunt, denuo sanguis detrahi debet, modo vires aegrotantis, aetas, temperamentum, corporis habitus et constitutio, non prohibeant. Hoc modo, sanitatem haud paucis hepaticis reddere, ni fallor, penes medicum est. Sed in plagis calidioribus, venam non nisi cautissime ferire liceat; ictus enim arteriarum, perraro hisce regionibus, aeque validi, et pleni, ac in nostro climate evadunt. Quo fit, ut in his casibus, si sanguis li-

berrime mittatur, omnia symptomata notabiliter gravescunt, aegrotusque in maximo discrimine versetur. Nonnulla tamen exempla occurrunt, in utraque India, ubi symptomata inflammatoria hepatitidis acutae tam gravia urgent, ut missio sanguinis generalis magno cum fructu perficitur; sed affirmare audeam, hujusmodi casus inter tropicos rarissime evenire. Simul cum generali venaesectione, topica sanguinis detractio in auxilium morbi vocatur; haec vero maxime indicatur, quandocunque, ob vires deficientes, illa nocere possit. Quod ad purgantia spectat, ea, post sanguinis missionem, in morbo debellando, multum valere, nemo inficias ibit. Neutiquam vero expurgantia drastica exhibenda sunt; quippe corpus summopere stimulant, et morbo graviter urgente, tantum aegrotum cruciant, viresque ejus convellunt. Ideoque ad vim sanguinis imminuendum, atque irritationem amovendam, universo corpori duritie alvi orientem, laxantia mitiora, ut oleum e seminibus ricini communis, et sales neutri reliquis anteferenda veniunt. In plagis autem

calidis, propter insignem debilitatem, quae fere semper hepatitidi ab ipso ejus impetu supervenit, tutius foret alvi duritiem enematibus tantum removere. Tametsi de vesicatoriorum modo agendi, in morbis inflammatoriis, judicatu difficile est, constat inter omnes, commoda praestantissima ex eorum usu derivari. Itaque post venae unam alteramve incisionem, vesicatorium amplum dextro hypochondrio statim adhibendum est. His itaque remediis gnare tempestiveque adhibitis, medicus saepe, proclivitati hepatitidis ad suppurationem tendere, obviam ire queat. Si autem medicamenta, atque remedia jam recensita, non ad spem respondeant; illico (ut nonnulli putant) ad praeparata hydrargyri confugiendum est.

Nonnunquam tussis et singultus aegrotum continenter vexant. Causa haec symptomata compescendi, auxilium ab opio petere oportet, diathesi phlogistica absente. Quandocunque dolor dextri hypochondrii multum urget; hoc in casu, saepe fotus calidus, parti affectae applicatus, enematave tepida, aliquid levaminis affe-

runt. Si medicamentis et remediis, quae explicavimus, neglectis, ad spemve non respondentibus, suppuratio superveniat; medicum ejus effectibus, quamprimum occurrere oportet. Externe si projicerit abscessus, protinus, ne introrsum irrumpat, incidatur. Hoc in morbi stadio, symptomata, quae febrem hecticam usitato designant, sese manifestant; ideoque ad debilitatem vincendam, corpusque firmandum, ea remedia, haud parca manu, adhibenda sunt, quae vires ventriculi reficiunt; scilicet amara, ferrum, cortex Peruvianus, vinum rubrum, vel Madeirense. Quod ad usum acidi nitrosi diluti pertinet; etiamsi non puto, ullam vim specificam, ad morbum quemcunque debellandum, ei inesse, (ut quidam existimavere), nihilominus stadio suppuratorio, jure cum aliis remediis roborantibus, in auxilium vocatur.

Nunc paucis disserendum de speciei chronicae hepatitidis curatione. Huic speciei morbi, praecipue opitulandum est remediis quae stimulent et roborent. Hac de causa, catharticis lenioribus praemissis, hydrargyrus primum lo-

cum merito tenet, praesertim si hepaticis sub coelo calido vitam degentibus adhibeatur. Non mihi videtur, unguentum hydrargyri parti affectae illitum, multum in hoc casu prodesse, nisi concedatur frictionem mechanicam utilem fore. Quâ de causâ, me judice, ex interno hujusce remedii usu, solummodo, aliquid commodi sperandum est. Inter varias praeparationes pharmaceuticas hujusce metalli, submurias hydrargyri optime huic consilio respondere invenitur; sed caute etiam a solerti medico administrari debet. Vesicatoria chronicae hepatis inflammationi, aeque ac acutae conveniunt. Siquando in morbi cursu, exhibitio catharticorum necessaria fit, modo dosibus perexiguis assumantur. Mala levare, quae ex ventriculo invalido oriuntur, atque vires aegroti reficere, saepe acidum nitrosum dilutum ingerere conducit, praesertim cum periculo compertum est, hoc remedium debilitati ex administratione hydrargyri orienti, quam optime occurrere. Nonnunquam hydrargyro, aliisque remediis nonobstantibus, suppuratio chronicam hepatitidem ex-

cepit. Tali in casu, modo supra recensito, (de acuta specie disceptans), aegroto succurritur. Dum in usu medicamentorum perseveratur, diaeta constare debet ex cibis et potu, quae dum vires nutriunt, non multum corpus stimulant. Caute ab liquoribus spirituosis abstinendum; tametsi vinum meracius parce bibere liceat. Exercitatio levis debet esse; qualisque non debilitet: gestatio est maxime utilis. Insuper, oportet revalescentem vestitu uti, qui cutis halitum evocet. Denique, plus semel evenit, cum omnia remedia spem medici fefellere, hepaticis coelum mutare maxime proficit.

FINIS.

B8